

Disfertatio

Siftons

*Theoriam Mentis Humanae
Revelatione Excultae,*

Cujus

Partem IV.

Philosophicam,

Confenf. Ampl. Facult. Philof. Aboënf.

Publico examini modeste offerunt

JACOBUS BONSDORFF,

S. S. Theol. Licentiat. & Adjunct. Ordin.

Et

PETRUS EKENVALL,

Nericus.

In Aud. Maj. die XXI. Jun. A. MDCCC.

H. A. M. S.

ABOË, Typis Frenckellianis,

§. XIII.

Vacillantem in re tristissima ac difficillima, non uno modo erigere conati sunt Philosophi animum, satis sibi ducentes, qualemcunque adferre medelam, immo quam sapissime toto medendi superfedere labore, quam radicitus lentam extirpare febriculam. Prout enim feracissima semper fuit ratio humana non modo utilissimis & ad salutem spectantibus veritatibus, verum etiam erroribus atque portentis funestissimis, ita nec ipsi defuit nimia sui confidentia, qua, in morali h. e. universali quadam, purissima & philosophica religione tradenda, omnes intenderet nervos, ut ipsa stabiliret immotum ejusmodi inordinatas mentis sedandi commotiones & cum melioribus commutandi moribus principium, quod supervacaneum non modo Divinae providentiae praescriptum redderet ordinem, e quo omnis historica pendet fides & veritas, ac eo redit, sed quod magis est, utpote inimicum rationi prorsus profligaret vicariae mortis exemplum sanctissimum.

Vere omnino dicitur, moralem nostram naturam ad Deum agnoscendum atque colendum ducere, nec non principium continere perfectionis humanae; quum vero tantopere perhibeant Philosophicae religionis Doctores, emendationem moralem, in se & sua natura plenissimam certissimamque continere expiationem anteaكتورum scelerum; idque sine Divino interveniente Numine fieri posse postulent; quum sciscant, fidem expiabilis mortis utpote ecclesiasticam tantum & empiricam, instar vehiculi esse censendam, quae ad moralem summam pureque rationalem perfectionem lentis duceret gradibus, in qua prorsus ipsa expiaret & superflua redderetur; immo quoque haec duo principia, empiricam & rationalem fidem, sibi contraria esse, ut quoque virtutis premia nullo egere

moralis summi moderatoris sensu doceant, nã tum ad incitas & sibimet ipsi repugnantes divertit ratio partes. Etenim si experientiam ducem sequi tantisper daretur, quod practicæ rationis omnino interest, quonam in momento ægrius hæserunt sapientiores quilibet virtutis cultores, quam in imbecillitate sua & libidinum vastitæ debellanda ac expianda? Tantumne sibi indulgebit quispiam, ut moralitatem, quam tot sensuum fraudibus violaverit, eandem habeat consolatoriam & ad omne tranquillitatis genus semet erigentem? Peccandi licentiam, in quam tantopere prorunt mortales, consequenter secum ferre inquietæ morfus conscientiæ, pœnamque justo e vindice provocare, legis utcunque latæ monet natura. Esto vero; malam animi consuetudinem (malum principium) cum meliori (bono principio) post assiduam luctam commutatum iri, num ab ipsa tamen animi natura venia perpetratorum criminum exoptulanda aut unquam expectanda erit? Siquidem fixum maneret, rationem sibimet ipsi legem condere, impunitatemne quoque violatæ moralitatis concedet? Hocne aliud esset, quam continuos agere circulos, & implicitos in gyros mentem cogere humanam? At quemadmodum verum manet ac inmotum, moralis nostræ naturæ statorem, ejusdem esse legislatorem & vindicem, ita nullibi residua concitatæ menti erit requies, nisi in Divina immensa bonitate sapientissimæque cura. Exhibeant vero qui altiora sapere, divæque nostræ religionis loco aliam generaliore substituire volunt, testatiora Divinæ benignitatis in condonandis sceleribus conspicuæ documenta, quam quæ orbis dudum in uno sospitatore ac restitutore Christo expleta vidit; commonstrent vel levisimos nexos huic adhærere doctrinæ, aut ab experientia & purissima ratione remotos sensus esse, quos mentibus instillare nostris jubemur; infringant necessitatem cum beatissimo justissimoque Deo, interveniente

quo-

quodam sponfore in gratiam redeundi; nec prius tamen animis mortalium dentum patiemur hunc mortis vicariæ sensum, quam lucè clarior alia emitescat scelera expiandi ratio. Mirum sane, si in sublimi hocce instituto tot navos offenderet ingenium humanum, ut eidem manifesto renunciare necesse judicaret. Quod si vel minimam speciem Divinum hoc institutum præ se ferret contrarii, missum idem faciamus a). Verum liceat tantisper male sanæ huic temeritati sistere cursum, atque rationis cum revelatione h. e. empirica fide indicare harmoniam.

Non quidem hic moramur aut eluere conabimur alias atque alias amabili huic de expiatione vicaria doctrinæ quondam adspersas maculas, unde multis fortasse oborta fuit fidem torquendi materies; nec refellere hic vacat inutilia multorum interpretamenta, quibus misere contorta fuit ac depravata salutifera hæc veritas; id solum pro nostro consilio monuisse sufficiat, nihil huic historiciæ & practiciæ veritati inesse, quod rationis principiis & analogiæ naturæ ex aste non respondeat. Etenim si legum civilium habitum, pœnarumque consilia cum Divina hacce sanctione comparamus, si omnium temporum atque quotidianæ vitæ experientiam justo rimantes examine cum hoc fidei nostræ salutisque symbolo, hoc mortis eventu conferimus, haud spernendam analogiam cernere dabitur inter utrumque. Leges enim sine constituta pœna ad effectum dare velle, stulti esset propositi, nec ullus princeps Imperare dicendus est, qui promeritam

M 2

tam

a) "Man lasse die vernunft unbeweglich feste stehen, und wenn es in irgend einem stücke dargethan werden kann, daß die lehre der Schrift von der Erlösung der welt durch Christum ihr wirklich zuwieder ist, so lasse man die Schrift in Gottes nahmen fahren."²⁹
 BUTLER Bestät. d. Nat. u. Geoff. Rel. p. 342.

eam non infligat, omnibus legem suam transgredientibus, pœnam, atque ut honore suo stet promulgata lex, vindicem scelerum se præbeat justissimum. Emendare vero & corrigere scelestos, labantes in veram virtutis deducere viam, innocuos a vitiorum deterrere ac avocare contagione, virtutis autem alumniis perpetuam spondere immunitatem & securitatem, hoc vero est nobilissimum legis sive per se sive per alios imperantis officium, quod quomodo impune dimissis pravis actionibus administraretur, difficile esset ad intelligendum. Neque tamen insolitum aut legi contrarium est, sponsores aut fidejussoribus uti, ad averruncanda mala, ubi alterius culpa in alium transit spontanea pactione; & quamquam rarissima aut fere nulla in Principibus existant exempla, qui subditorum suorum ob malefacta vitam suam consecrarint ipsi *b)* legis sanctitati obtemperantes, quis tamen in exemplo ejusmodi tantopere offenderetur, aut legis & moralitatis omnem subversam esse putaret naturam? Finge tibi prodeuntem quendam pro universa quadam gente ejusque salute, heroica virtute ac innocentissima morum castitate conspicuum heroem, cruentam oppetentem mortem, morteque sua exitialis componentem belli horrores, insanumne hunc aut rationi plane reclamantem judicares? Quod vero civitatis ipsa salus interdum in mitigandis & abolendis quibusdam pœnis gravioribus sita maximopere sit, apparet in universis rebellionibus coercendis, ubi tota sapius provincia criminis & pœnæ culpam in se contraxit, ne tamen tantam jacturam civium pateretur republica, pauci tantum pœna plectuntur, metu sic ad omnes, pœna vero ad quam paucissimos pertingente. Quid ergo

b) Locrensi tamen legislator, Zaleucus, filii sui promeritam pœnam ex parte luebat ipse, ne impunitas scelerum novam in postem peccandi copiam aliis inferret.

go tantopere vexant in vicaria morte, exemplum quidem sine pari præbente, sed sic tamen cum legum & pœnarum civilium natura apprime conveniente, neque cum quotidianæ vitæ usû repugnante, quem bene & sublimiter satis expressit Divus gentium doctor, statuendo, vix adesse exempla hominum, qui pro justo viro vitam ac vires profundant; pro benefactore aut amico forte aliquem mortem subitum, sed pro inimicis suis ad supplicia promerita ruentibus, lythrum solvere atque piaculum, humani animi id longe superare vires. Quid amicitia in ipsa oppetenda morte valeat, cernere licet in sympathico certamine Pyladem inter & Orestem, inque tot hominum exemplis, qui amore incitatisimo ducti ultima adire vitæ discrimina non detrectarunt, cari sui pignoris servandi causa; atque quo affectus hicce homines non abriperet, si ferventissimo sub sympathiæ astu semper vota sua persequi liceret. Testabatur Paulus se tanta popularium suorum obstrictum teneri zelotypia, ut semet profus a Divino amore rejectum iri vellet, illorum servandorum causa. Quod si ergo humano animo sympathia propria est & laudi vertitur, Divinone sponsori parum conveniet? Si pulcrum ac nobile est, pro patria mori, annon longe celsius, pro mundi peccatis in morte ipsa conflictari?

Sed longe formidolosius & ad suspiciones movendas callidius pronuntiant, expiationis vicariæ doctrinam ad sacram quandam superstitionem ac socordiam, precibus ac votis solummodo innixam ducere, obicem vero veræ virtuti & moralitati ponere, infandumque in modum peccandi licentiæ aperite latissimas portas, sic nempe ut pœnarum formidinem apud flagitiosos hæc ipsa salutaris imminueret veritas. At vero quam inique hi morum agant censores, ad judicandum est facile. Pœnarum enim

impunitatem & infirmitatis humanæ veniam, nullo alio nisi emendationis sinceræ pacto collatam, unicum fere hoc & cellissimum commotæ mentis solamen ac veluti alylum humano generi abjudicare, Divinamque gratiam tanquam diarium peccandi censere fomitem, quid hoc est aliud, quam rationis ipsius principiis renuntiare evidentissimis. Non enim amplius esset moralitati ipsi parata ad pristinum redeundi nitorem ansa, quia veniam impetraverit lapsus, nec condonanti aut leniter castiganti filium patri unquam ipse affulgeret melioris de male imbuto cernendæ frugis. Sed prorsus incredibile est, quo fines rationis migratos velint nonnulli. Longa dudum experientia evictum est, humanum genus peccati labe infectum, sui vero atque legis conscium, non posse ad perfectionem moralem reduci, nisi abstergis suæ vitæ maculis; pessime vero Divino eos abuti favore, qui tanto ardentius in vitia prorumpunt, quia veniam anteaactorum impetraverint. Et quamquam in abusum traxerint trahantque multi mortalium Divinam hanc condonandi ansam, perperam tamen ejusmodi licentiam opprobrio cedere gratiæ putares. Vix enim hoc pacto princeps culpa esset liberandus, qui pœnam remittat recipiscentibus, aut alium sinat justo ex rigore promeritam solvere multam. Siccine quoque omnem e civitate profligatam velles gratiam, rigidissimam vero justitiam semper obtemperandam? Recolas vero, quot flagitiosos a scelerum tramite avocaverit sapiens legum indulgentia, quot seductos in viam reduxerit mite principis & ad severitatem pœnarum remittendam compositum ingenium; quod tamen non eatenus dictum volumus, quasi justitiam utpote principalem virtutem colere desinant legumlatores. Sed quid aliud indicat justitia, quam sapienter administratam bonitatem; & quamdiu fragilitatis multum & errorum inhaereat humanis actionibus, tamdiu quoque pœnam remittentem

tendam interdum esse, sapientia svadet. Infelicissime certe cum humanis actum esset rebus, si spes misero non adesset, vacillantem continuisque ex pravorum memoria excitatis morsibus agitatam, Divinam per benignitatem mitigare conscientiam. Atque vel flagitiosissimo homini, ad meliorem tandem redeunti frugem, hanc spem denegare, id vero esset, non solum omnem ei præcludere viam emendationis, verum ipsi quoque valedicere humanitati. Tantum ergo abest, ut peccatorum expiatio novam peccandi inferat illecebram, ut potius stimulum addat menti, ad grandia quævis renovato enitendi cursu. Quem sanctitatis perennantem nisum, quem sacrum & a superstitione quam longissime remotum horrorem sentiet animus, bene de Supremi Numinis in morte innocentissimi manifestata justitia ac bonitate institutus! quod levamentum atque quanta refrigeratio in expiatione Christi perfectissima universum hauriet humanum genus, perinde ac paterno in sinu fotum sese videt, tenerrimus infans!

Quamquam vero sic doctrinam laudatam a novissimis nonnullorum repurgavimus insultationibus, quasi superflua, rationi inimica & prorsus noxia esset; nec opus videretur ulteriori ejusdem apologia; quum tamen multis aliis de nominibus in discrimen ipsa sit vocata, agendum sub incudem adhuc ponamus nonnulla contrariantium argumenta, visuri an magis ipsi in discrimine versentur. Expiationem scelerum interveniente factam morte, duram censent, quum Deo jus sit, absque pretio aut exemplo peccata condonandi; atque jus nemo Summo judici abjudicavit, nec absoluta quadam vi extortum coactumque idem fuisse quisquam nisi insanus judicabit; sed quum legum suarum vim una cum Majestate conjunxerit, hancque pro indigentia humana promulgaverit solenniter, quis normam liberrimo Legislatore præ-

præscribet? Quantopere autem laudare solent multi, quid consummata & perfecta conveniat virtuti, crassa tamen premunt oblivione, quid sensuali nostræ apprime inferviat naturæ, & quam fortiter in animos nostros agant exempla, secundum tritum: *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Sapientissimi utique Moderatoris nostri est, sensualem nostram naturam pœnarum exemplis ac futuræ salutis spe ad eam deducere metam moralitatis, ubi pœnæ & fragilitati locus amplius esse nequeat. Tunc vero credis, in hoc fragilitatis statu, ad id perfectionis ascendere culmen posse mortales, ut nec metuant labendi ansam, nec pœnarum ingruentem vim non horreant? In ipsis honestissimis mortalium conatibus actionibusque, quot defectus, quot lapsiones & infirmitates, & præfracta tamen velles fronte summo abnegare Numini facultatem, solenni modo suam manifestandi gratiam, pignusque amoris sui longe certissimum exhibendi. Duram quoque hanc mortis doctrinam, ut Judæis & gentilibus quondam, ita quoque nostratium nonnullis fuisse visam, non est mirandum, ubi mens ipsa obduruit, & ex effrenata hominum ira, Divinam quandam crudelitatem misere multi comminiscantur. Referamus vero omnia ad primævam suam simplicitatem, qua certo cavetur, ne immenso creatori mutationem aut humana pathemata talia fingamus, nec de sanguinis interno aut hyperphysico quid præsumamus pretio summa imis miscentes, nec in tropicis quibuscunque aliis formis ac figuris hæreamus pueriliter; subsistamus in hac verissima & solatii plenissima sententia, quam omnes imagines exprimunt, supplicium nostri loco s. pro nobis solvisse expiatorem, ut impunitatem infirmitatis aliunde non dignoscendam inveniremus; hocne durum erit aut ad phantasie lusum sive vehiculum pristini temporis compositum?

Faci-

Facili quoque negotio nosmet ab eorum expediemus
 telis, philosophicis puta, qui Deum infra dignitatem suam
 egisse clamant, cum filium spontaneum, humanitatis hoc
 summum exemplar, traderet morti. Sed ut taceamus mul-
 ta ejusmodi exempla hominum, egregiis illustrium faci-
 noribus, qui multa pati iniqua, multa dedecora ab in-
 gratis civibus grave sibi non dixerint, quid quæso per
 hominum invidiam malasque artes, Prophetarum ac vir-
 tutis cultorum omnium gloriæ, quid regali Davidis folio
 ex nefanda filii conjuratione ac crimine detractum pute-
 mus? Divinam vero Majestatem tot impiorum calumniis,
 objurgationibus, querelis sapius lacescitam, num vel te-
 nuissima ex parte imminutam, aut Solis radiantia lumi-
 na nigrorum execrationibus extinctum iri censebimus?
 Atqui expiationis vicariæ veritas non modo nullam in-
 fert Divinæ gloriæ jacturam, sed longe solenniorum ejus
 manifestandæ præbet ansam (ut in subsequ. vincemus).
 Veniant enim in censum luculentissima illa Divinæ po-
 tentiæ in morte ac resurrectione Servatoris celebrata do-
 cumenta, quæ latis superque specialissimam Dei circa
 hanc mortem fuisse providentiam commonstrant; certe
 nisi prætereunde quis oculis velamina geliat, ad agno-
 scendum pronus erit, tantos eventus naturæ cursum longe
 superantes, crucis vindicatuos esse gloriæ. Prout vero
 miracula Christi in universum Divinam ejus common-
 strant missionem, verum nempe eum fuisse Mesiam, hu-
 mani generis restauratorem, ita quoque extraordinaria il-
 la naturæ phænomena, quæ circa mortem & resurrectio-
 nem ejus novemque dies post ejus in cælum discesum
 gloriosum evenerant, testatissima sunt providentissimi Nu-
 minis in adstruenda hujus doctrinæ fide indicia, nec tem-
 poris injuria nec morum levitate unquam obliteranda.

Movent adhuc scrupulos multi eo ex capite, quod
 lenta fuerit prætereaque subdubitanda Divina hæc scelera
 N expi-

expiandi ratio, quum per tantum temporis intervallum ignota fuerit aut saltem non perfecte cognita, nec gratia Dei fidelibus pristini ævi deneganda merito sit. Verum enimvero dabimus hoc immensæ bonitati Divinæ, quod sub symbolis quibuscunque aliis adumbrare sibi homines siverit eandem; atque per lentos indies gradus humanum perfici genus, & ad culmen sive religionis sive scientiarum quarumlibet pertingere, experientia satis confirmatum est.

Nec intactum relinquere convenit multis suspicionem inesse, quasi alium longe in modum Apostoli exposuerint Christi mortem quam ipse, in vivis quamdiu esset, expositam voluerit aut ipse indicaverit. Male sanæ & fraudulentæ id fuisset vitæ, nec cum bono viro multo minus Apostolorum caractere conciliandum. Videamus ergo, qua via Apostoli ad hanc fidem pervenerint. Infitiandum quidem non est, plerisque tantum non omnibus minus agnitam eam fuisse ante mortem Servatoris, id tamen ex imbecillitate eorum derivandum est, qua cetera omnia ejus fata dignoscere non valere, quamquam clarissimis verbis ipse eadem indigitaverit. Qui enim tot vicibus semet cum fidei pastore comparabat, vitam ultro pro amicis immo inimicis daturus, toties hanc suam mortem in remissionem peccatorum meminit futuram & sacramento confirmabat, toties vivide significabat semet omnia impleturum, quæ moderante Numine in Prophetiis de se prædicta exstabant, immo Messianum suum manus celsissimis miraculis & profus Divina virtute ad remissionem peccatorum impetrandam largiendamque retulit; isne mortis suæ consilium non aperuisse censendus? Expresserant vero idem postea discipuli ejus & quod fidem ultro omnibus fecerint, atque non obstantibus Judaismi præjudiciis & gentilismi sophismatibus extorserint, id quidem tribuamus oportet ipsissimi Doctoris

toris promisso sese per omnem doctrinæ suæ progres-
sum fore præsentem & mirabilia effecturum. Exactissi-
mum igitur hunc Prophetiarum, effati Servatoris & do-
ctrinæ Apostolorum mutuum concentum, miraculis con-
firmatum, pro argumento certissimo habebimus, cur mor-
tem Christi pro nobis factam reputemus.

Nec tantopere nosmet facescat quorundam animad-
versio, poenas sive temporales sive futuras commode non
posse per vicariam quamdam tolli expiationem, quia hoc
pacto duplex constitueretur, alia in innocentem sponso-
rem alia in peccatorem ipsum inflicta poena. Sed ut ex ana-
logia naturæ hoc diluamus crimen, quis est, qui rebellium
poenas semel condonatas, in novo tamen crimine exacer-
batas gratiamque cum severitate comutatam non videat?

Ex quo civilium legum habitu prono infertur judi-
cio, impiorum supplicia tanto asperiora in æternum fu-
tura, quo lautiora quondam Divinæ gratiæ experti fuerint
specimina. Naturales vero pravæ actionum conse-
quencias multiplici modo in hac vita per meliorem vitæ
rationem & gratiam Servatoris memoriam mitigandas at-
que cum morte ipsa olim abolendas, sin vero ad pristi-
nam scelerum consuetudinem retro labantur ac in ea per-
severent mortales, immortalis sub cruciatu posthac savitu-
ras esse, nemo pertinaciter negabit. Juvabit porro heic
exempli loco expiationis ipsius momentum cum futuris
Judaicæ refractariæ & in Christi violentam mortem ruen-
tis gentis ultimis componere fatis, unde patebit, poenas
Divinas justo ex judicio huic imminentes & a Christo
prædictas genti, potuisse jamjam hoc temporis articulo,
quo innocentissimus Servator capite plectebatur, per i-
psam inferri atque sic mortem ejus multiplici modo cum
impiorum promerita poena commutari, perniciemque
quam in eum machinabantur, in eos retorqueri, si id

divina fivisset providentia. Hac vero intercedente Christi morte, spes haud exigua Judæis supererat, in gratiam rursus cum sanctissimo suo restitutore redeundi, hincque solatium anteacti temporis per veram percipiendi emendationem.

Discussis vero his & aliis moliminibus, expedito pede vacabit solennem ingredi campum, ubi revelatione præferente facem clarissima cernimus luce Divinam providentiam in subleuandis humani generis indigentis. Est quidem hæc de Servatore doctrina rationis ipsius impervia principiis, historica tamen sua claritate ac veritate satis superque superstructa, quam qui infringere vellet, fidem omnem historicam is quoque putandus sit evertere. Interim tamen fuere recentissimis quibus vivimus temporibus, qui penitus omnem de religionis nostræ restauratore historicam fidem proscripserint, superfluum judicantes miraculorum copiam, nec quidquam adoptantes, quam quod suis conveniret placitis. Quam insolentiam unde derivarem nisi tum e mirabili humanæ mentis factu ac omnia ex suo fingendi ingenio, revelationis vero in campo protervius graslandi, licentia, cum etiam e profunda quadam socordia, penitiora doctrinæ sanctioris sibi met ipsi præcludente adyta, omnemque empiricam aliorum temere spernente certitudinem. Ubi enim per historiæ ac experientia neglectum sibi ipsi indulgere incipiat mens, non mirum est, si placitis suis omnia devoveat Divæ revelationis præcepta fataque testatissima. Hinc factum est, ut quamquam non directe negent Christianæ historiæ fidem, sublestæ tamen eam auctoritatis & instar vehiculi, hoc vero est: fictionis sacrae ac salutaris habeant, cujus olim evanescentis ruinis aliam pure rationalem superstruere vellent. Abnegatis autem ita præcipuis, quibus Christi divina origo, doctrina & salutaris mors innititur documentis, cultissima per quævis secula ingen-

ingentique argumentorum pondere stabilitis; quid amplius ad animum restat persuadendum? Quæ enim Metaphysica ratiociniorum congeries divellere empiricam poterit fidem, a sensuum ipsorum, non unius nec vulgi, non fanatici aut decepti aut fraudulentæ cujusdam hominis sed integræ gentis sed honestiorum quoque & illustrium, saniorum, bonorum experientia oriundam?

Expertus est dudum etiamque nunc experitur indies orbis Christianus religionis lucem per Christum accensam immensam, experitur ingentem emendationis & perfectionis per absolutissimum ejus vitæ exemplum promissumque adjumentum promovendæ nihil; atque imbecillæ menti, peccatorum conscia, adest infiniti Numinis sanctissima, per Christum facta, veniæ felicitatisque contestatio. In his quippe tribus momentis non modo indigentia humani generis, verum etiam sanctissimi Servatoris provincia fuit sita. Ad occasum enim vergente nobilissima humani animi parte, religione nimirum & moralitate, quacum felicitas indivulso nexu conjuncta est, id sapientissima effecit providentia, ut talis existeret dux animorum comesque, qui non modo religionis sublimem daret notitiam, verum etiam re ipsa salutiferas omnes de Deo & salute veritates ad morum emendationem sive perfectionem referret, immo in vita sua exprimeret, omnem vero residuum imbecillitatis sensum cum Divinæ gratiæ memoria luculentissimo quodam commutaret specimine. Informandi jam munus consummatissime exantlatum, per breve illud temporis spatium quo publici doctoris fungebatur negotio, fuisse, quis est qui ignorat, atque nos jam §. VIII. probavimus. Emendationem similiter morum non solum in Judæa gente verum etiam apud Gentiles insigniter, quamvis pedetentim fuisse promotam, iidem testantur Annales. Quum vero ani-

mi nostri morumque perfectio (moralitas actionum) sine emendatione obtineri nequeat, hæc autem omnem efficiat religionis paginam, propius ejus theoriam indagare & cum experientia conferre juvabit. Iro certo autem poni debet, generalem morum humanorum restitutionem utpote propter ipsos virium & sensualis naturæ defectus necessariam, parum fuisse Philosophorum antiqui avi promotam studiis. Quum enim legum ipsarum civilium, educationis & exemplorum vis satis exigua fuerit, nec Religionis publicæ ea esset inter Paganos vel cultissimos ratio, ut virtutem aleret, quin potius superstitionem & vicia sufflaminaret, unde quæso tanta morum perditissimorum speranda fuit commutatio? Quid Solonis ipsius & Lycurgi leges ad extirpandam vitiorum valere tabent? Immo humanitatem ipsam violavit Lycurgi lex de exponendis liberis & parentum senescentium acceleranda morte. Quid valuit Platonis respublica & Socratis exemplum in furibunda plebe, quid Ciceronis egregiæ de officiis & Deorum natura commentationes? Dabimus quidem ex his aliisque quendam reportatum fuisse fructum, sed quum de generali mentis humanæ emendatione, sermo instituat, immensum est, quantum a votis omnium distent. En vero, in tanta humani generis indigentia, exortum splendidissimum Christi nomen, exemplum vitæ exactissimum, præceptumque de emendanda vita, quod omnium penetrabat animos atque medullas, totiesque eorum frequentissima resonabat concione. Erant hæc præcepta tantis combinata mirabilium ac generosissimorum facinorum ad omnem levandam miseriam speciminibus, ut nemo non Messiam, Dei familiarem & intimum in his dignosceret, cujus ex Divina auctoritate omnes penderent. Quod porro his maximum conciliabat robor, & quamdiu homines sint, fidem extorquebit, summum fuit sanctissimæ vitæ exemplum, in qua ne um-
bra



bra quidem infirmitatis reperiebatur. Jure ergo ad corrigendos mores invitabat Divus hic restitutor omnes sine discrimine, & quod haut sine ingenti fructu hæc ejus fuerit vitæ præceptio, patet ex delecta ejus discipulorum manu, e tot profelytarum undique concurrentium piis desideriis, tot hypocritarum everfis funditus moliminibus, bonorum vero omnium ardentissimis studiis; immo verissima docet historia, flagrantissima humani generis fœdera, simulac Christi doctrina invasit orbem, obmutuisse.

Quid porro ad felicitatem ac tranquillitatem humani generis stabiliendam contulerit Divina providentia, in ultimis Servatoris eventibus manifesto apparet. Qui enim aggratiandi, & condonandi modus immensa Dei nititur benignitate, & in prophetiis haud obscure prædictus erat, is demum lucidissime in mortis gloriosissimæ conspicitur articulo, quam publice Christus non modo sub vitæ curiculo sæpius verum etiam in ipso mortis momento, quum innocentissimus pro flagitiosissimis suis inimicis veniam impetraret, immo quoque post resurrectionem suam solennem satis confirmabat factam pro omnibus hominibus. Juvat vero inprimis tenere, mortis hujus naturam ex illius subitanea in vitam mutatione, Deo res sic moderante, illustrari; etenim qui Christum e mortuis resuscitavit, palam fecit, mortem Servatoris necessaria ex naturæ lege non fuisse illatam, multo minus promeritam, sed vicariam eoque consilio lubentissime susceptam, ut viam Divinæ exosculandæ justitiæ ac bonitati mortalibus, supplicia quævis merentibus, panderet certissimam. Neque desunt clarissima per novi hujus Sacramenti doctores prolata testimonia, quæ scopum hujus in omni historia inauditæ mortis explicant genuinum; & quamquam sub imaginum umbra sæpissime hæc veritas lateat, est tamen propriissimis quoque verbis pure adeo & simplici-
ter

ter informata, ut insulsi sit interpretis, alium inde elice-
 re sensum, quam: Christum nostri loco sanctissimi instar
 lythri ac exempli Divinam vindicasse justitiam & boni-
 tem, quo sic emendati per vitæ ejus exemplum, habere-
 mus in mortis quoque illo firmam venturi temporis præ-
 sidium, indiesque nobis recurreret, & oculos versaret no-
 stros innocentissimi nostri sponsoris amicissimi que bene-
 factoris morte ipsa non modo confirmatum amoris pi-
 gnus, verum etiam supplicii sapientissimum, ad deterren-
 dos nosmet a peccatis totum compositum symbolum,
 Quam crucis doctrinam non otiosam, non superfluum nec
 temerariam aut stultam, sed apprime humani generis in-
 doli ac indigentis inservientem videmus Divinaque Ma-
 jestate dignissimam. Etenim si ratio infinitæ Dei sapien-
 tiæ habenda sit, annon exactissima cernitur Dei provi-
 dentia in adminiculo hocce ad multorum immo omni-
 um prospiciendam salutem constituto; si summam in le-
 gibus ferendis & coercendis peccatis anquiris justitiam,
 habebisne amplius in impunitate aut frivola legum trans-
 gressione, quum tanta solemnitate vindicem se criminum
 pronuntiaverit supremus judex? An æterna temet excru-
 cies pravorum sensuum pristinorum sive defectuum acer-
 bissima memoria, quum mitissimi patris tibi eluceat in
 filii sui effigie atque amoris exemplo, documentum?
 Quod si vero Divini nominis gloriam hoc modo vere
 promotam habebimus gloriosissimo teste servatore, na-
 turamne hinc nostram moralem dignitatis quid amisfu-
 ram putabimus, an potius consecuturam? Vires nempe
 ac facultates libere sentiendi ac volendi, in quibus sta-
 mina perfectionis & dignitatis humanæ latent, nullas sal-
 tim exiguas per se esse, nec per experientiam vulgarem
 aut usum ad tantum excoli posse gradum, ut non sem-
 per humani quid remaneat defectus ac levis, ideoque re-
 spectu ad legem habito plus præpediri quam promoveri,
 ratio-